

## DISPUTATIO III.

## De proprietatibus Virtutum.



UM virtus moralis non sit natura quædam, hoc est, principium motus, & quietis, non sicut ei assignandæ proprietates similes proprietatibus naturæ: sed proprietates virtutis appellamus *affectiones* quasdam eam conseqentes, sive distinguantur realiter, vel non à virtute. Inter huiusmodi proprietates precipuum obtinet locum perfectio, mutua connexio inter se, & cum prudentia; necnon distinctio. Quæ omnia hæc disputatio ex parte absolvemus.

## DUBIUM I.

Utrum virtutes morales in esse perfectio habeant connexionem necessariam inter se, & cum prudentia?

Sensus questionis est, an qui vnam virtutem moralem habeat, ceteras morales debeat habere, ita ut vna non possit sine altera consistere: Verum ut distinctio, quoad fieri potest, claritate materiae satis implexæ conciliet, opus est aliqua adnotare, & alia supponere.

## §. I.

## Adnotaciones, &amp; suppositiones.

NOTA primò, virtutes morales in triplici gradu considerari posse, ut docet Arist. 7. Ethic. cap. 1. Primo in statu imperfecto, cum adhuc perturbationes animæ sunt vehementes, illis tamen resistimus, licet cum difficultate: Et virtutem in hoc statu appellat D. Thom. in præsent. quest. 61. art. 5. *politiciam*. Secundo in statu perfecto, cum videlicet, passiones sunt paciores, & ferè sedatæ: Et vocatur ibi à D. Thom. *purgatoria*. Tertio in statu heroico, cum nimium passiones ita cohibentur, ut raro, & vix repugnant rationi: Et hanc D. Thom. ibidem appellat *heroicam*. Quos status eadem numero virtus potest habere cum distinctione aliqua præcisè accidentali, ut rectè notantur N. Salmant. in Comment. ad prædictum articulum. Sed distinctio hæc accidentalis non consistit in eo, quod virtus *politica*, seu in statu imperfecto sit remissa; & *purgatoria*, seu in gradu perfecto sit intensior; Et in gradu heroico sit intensissima: quia potest accidere, quod virtus sit valde intensa, & non excedat limites *politice*, ut inquitur prædicti PP. in hoc tract.

disp. 4. num. 2. sed in eo, quod virtus *politica* præsentit passiones valde insurgentes, & illas moderatur; & *purgatoria* eas, ut inclinantes ad malum, ferè aufert; & *heroica*, quasi passiones omnino ignorat.

Controvertitur hæc non procedit de virtutibus in primo gradu consideratis quia experientia constat, multos se exercere in materia quorundam virtutum, illaque comparare, quin se exercent in materia aliarum virtutum: Et hoc evidenter convincunt argumenta, quæ pro contraria sententia, infra referenda, adducimus. Neque procedit de virtutibus in gradu tertio, aut heroico constitutis: quia, ut ipsi Adversarii fatentur, cum virtus in tali gradu omnem polulet excellentiam, quam in suo genere potest, nequit non requirere aliarum virtutum societatem: quia omnes virtutes mutuum sibi præstant auxilium: ergo saltem in gradu heroico adinvicem sunt connexæ. Quocirca dubium solum versatur circa virtutes in statu secundo, seu perfecto consideratas.

Porro virtus in hoc gradu iuxta dicta potest distincti, per hoc, quod sit *inclinans in opus bonum bene agendum*; ut colligitur ex D. Thom. quest. 65. art. 1. Et hoc tunc accidit, quando ita firmat animum in bono, ut in qualibet occasione communitur occurrere promptè, faciliter, & cum firmitate in id inclinet. Et in hoc sensu procedit questio. Nec intelligitur de actibus: nam inauditum apparet, quod semper ac fortitudo (v. g.) exercet suum actum formalem, reperiantur ibi actus formales humilitatis, temperantia &c. Nisi velis dicere, quemlibet virtutis actum esse temperatum, fortem, iustum &c. Quod estio veritatem teneat, nequit huic materię accommodari; siquidem iste sunt conditiones generales cuiuscunque adu virtuosus. Vnde tantum intelligenda est de habitibus, & non utrunque, sed formaliter, & extrinsecè.

Sed adhuc pro maiori luce observandum est, virtutes nonnullas omni hominum conditioni esse communes, quas omnes homines, ut rectè vivant, habere debent; & huiusmodi sunt cardinales. Alię sunt peculiariae alicui statui, aut conditioni hominum, ut sunt virtutes Religiosorum, castitas videlicet, paupertas, & obedientia; & virtutes Principum, ut magnificentia, iustitia vindicativa &c. Questio non procedit de his posterioribus, nec de illis, quæ ex aliquo capite repugnant alicui subiecto, ut accidit penitentia in Christo Domino; sed de virtutibus primi generis: quia certum est, eum, qui habet aliquam virtutem, non necessarium habere virtutes illas, quæ aliquem statum peculiarem dicunt. Quibus suppositis, & scitis.

Circa hæc difficultatem duplex principalis versatur sententia. Prima affirmat, virtutes huiusmodi sub statu perfecto constitutas esse ad-

in-

adinvicem connexas, & cum prudentia. Ita Div. Thom. 1. 2. q. 65. art. 1. quem sequuntur omnes eius discipuli, & inter eos N. Salmant. in præf. disp. 4. dub. 1. Huic sententia suffragantur plures extra eius Scholam D. Bonav. Henricus, Ricard. Valent. Suarez, Salas, Granados, & plures alij. Secunda negat, necdum esse connexas in statu imperfecto, verum etiam in statu perfecto. Ita Scotus in 3. dist. 36. q. 1. quem sequuntur eius discipuli Tarat. Rada, Vulpes, Pontius. Et ex Societate Vazquez, Lorca, Averfa, Arriaga, Oviedo & alij.

## §. II.

## Sententia Thomistica cum suis fundamentis.

Incendum est, virtutes morales naturales secundum esse perfectum esse inter se, quoad habitus, essentialiter connexas, & cum prudentia. Hæc assertio solet suaderi disertis PP. testimonijs: nam Ambros. lib. 5. in Lucam ait: *Connexa sibi sunt, concatenataque virtutes, ut qui vnam habuerit, plures habere videatur*. D. Greg. 22. Moral. cap. 1. *Vna itaque virtus sine alijs, aut omnino nulla est, aut imperfecta*. August. lib. 6. de Trinit. cap. 4. *Virtutes, quæ sunt in animo humano, nullo modo separantur adinvicem*. Quibus adhaerent omnes Philosophi, ut refert D. August. & Hieronym. ut videri potest apud N. Salmant.

Respondent Scotici, & testimonijs PP. & Philosophorum tantum suaderi connexionem virtutum, quando sunt perfecta extrinsecè, & accidentaliter ex consortio aliarum virtutum: quia non potest negari mutuum auxilium, & perfectionem sibi adinvicem præstare, nec sine omnibus virtutibus dicitur homo simpliciter bonus: non verò probari connexionem illarum, si secundum suam perfectionem essentialem, & intrinsecam considerentur. Vel si loquantur de perfectione essentiali & intrinseca eorum, intelligi debent, prout in pluribus hoc evenire solet: quia ob afinitatem & similitudinem ipsarum virtutum inter se mutuum sibi præstant auxilium, & qui in vna est affectus, aut exercitium aliarum inclinatur; non autem ita simpliciter & absolute loquendo etiam desatò separari queant.

Sed vtraque expositio est extra mentem Patrum, & Philosophorum: nam absolute proferunt, quod vna virtus sine alijs, aut nulla est, aut imperfecta: rursus quod nullo modo adinvicem separantur; sed hæc testimonia intelligi non valent de virtutibus sub statu imperfecto, ut omnes concedunt; nec de illis prout perficiuntur extrinsecè adinvicem; quia etiam idem, ac dicere, quod virtutes sunt connexæ inter se, dum sunt copulatæ; quod facit sensum identicum, & indignum SS. PP. & Philosophorum; nec de illis, prout hoc regulariter accidere solet, ut ex se liquet: valde enim diversa sunt, virtutes regulariter esse connexas, ac virtutem

Paul. Theol. Salm. Tom. II,

vnam sine alijs esse absolute imperfectam: ergo virtutes secundum suam perfectionem essentialem non solum regulariter, sed etiam essentialiter sunt adinvicem connexæ.

Et probatur ratione fundamentali Div. Thom. Nam virtus moralis perfecta est illa, quæ inclinatur in opus bonum bene agendum, ut liquet ex diffinitione virtutis perfecte supra tradita; hoc est, quæ inclinatur in illud promptè, faciliter, & cum firmitate; sed nequit in opus bonum hoc modo inclinare sine prudentia perfecta, & alijs virtutibus moralibus perfectis: ergo omnes virtutes morales perfectæ sunt essentialiter connexæ inter se, & cum prudentia. Minor quoad primam partem probatur: Tum, quia virtus moralis essentialiter dependet à prudentia, ut sepe diximus in hoc tract. ergo etiam virtus perfecta à prudentia perfecta, iuxta illud, *Ita se habet magis ad magis, sicut simpliciter ad simpliciter*. Tum etiam: nam virtus moralis nequit promptè, faciliter, & constanter in opus bonum inclinare, in quo consistit perfectio intrinseca illius, absque prævio dictamine distante constanter, faciliter, & promptè prædictum opus, in quo stat perfectio prudentia: ergo virtus perfecta dicit essentialiter connexionem cum prudentia perfecta.

Deinde probatur quoad secundam partem: Tum, quia tunc non inclinatur promptè, facile, & firmiter in opus suum bonum, quando homo facile potest inclinari in opus contra ipsam virtutem; sed hoc accideret, si non esse copulata cum alijs virtutibus; ut liquet in exemplo satis noto mulieris avare, & timida; quæ est à bono honesto castitatis alliciatur, & eam turpitudine luxurie deterreat, ob timorem, vel pecuniam facile inclinari potest ad peccandum contra castitatem: ergo nequit in opus bonum facile, promptè, & firmiter inclinari sine alijs virtutibus perfectis. Tum etiam: nam prudentia nequit firmiter, promptè, & facile dicere opus bonum circa virtutem castitatis (v. g.) nisi supponat appetitum rectitudinem circa finem, & passionem sedatam circa malum; sed ad hoc prudentia essentialiter dependet ab alijs virtutibus, ut constat exemplo proximè relato: non enim potest dicere firmiter bonum castitatis, si appetitus non est rectificatus circa passiones omnes, quæ illi obflare possunt: ergo idem quod prius.

Huic solido fundamento respondent communiter Adversarii, ex eo tantum sequi quod castitas v. g. non inclinatur in opus suum promptè, facile, & firmiter sine prudentia perfecta partiali: excellentiam enim Scotus dari diversas prudentias iuxta diversas materias pertinentes ad omnes virtutes morales. Nec hæc prudentia partialis petit ad sui perfectionem supponere appetitum rectitudinem circa omnes fines humanæ vitæ, sed sufficit supponere illum rectificatum firmiter circa materiam (v. g.) castitatis.

Zzz 2

Porro

Potest ut appetitus sit firmiter rectificatus circa bonum castitatis, sufficit sola castitatis virtus, quatenus ex motivo intrinseco pro sua honestate servanda potest inclinare ad contemnendas pecunias, & minas, & aliud quodcumque impedimentum extrinsecum removendum. Hęc in summa est solutio, & doctrina Adversariorum.

Hęc autem evasio refellitur *primò*, ostendendo, non dari nisi vnam prudentiam indivisibilem: Nam de ratione prudentiæ dirigentis actum cuiuslibet virtutis est, quod attendat, vel possit attendere ad omnes circumstantias, & capita, ex quibus actus potest vitari: de ratione enim illius est consistere virtuti morali medium rationis consistens in recessu ab extremis, quibus actus vitari potest; sed capita seu extrema, quibus actus versans in materia castitatis fœdari potest, pertinent ad omnem materiam: ergo necesse est, quod prudentia eadem, quæ regulat materiam castitatis, versetur circa omnem materiam, proindeque eadem debet esse prudentia regulans materiam omnium virtutum moralium. Maior est perspicua, nam prudentia, quæ non attendit omnes circumstantias, quibus actus vitari potest, non est prudentia, sed imprudentia. Minor declaratur exemplo supra relato: nam actus versans circa materiam castitatis fœdari potest, vel quia mulier allicitur a delectatione, quæ est propria materia castitatis; vel quia deterritur metu mortis, quæ est materia fortitudinis; vel propter appetitum pecuniarum, quæ est materia liberalitatis; vel propter locum sacrum, quæ est materia religionis; vel in damnatione coniugis, quæ est materia iustitiæ: ergo capita, circumstantiæ, & extrema, quibus actus versans in materia castitatis fœdari potest, pertinent ad omnem materiam.

Roboratur hoc: Nam prudentia regulans actum virtutis castitatis non solum debet respicere extrema secundum se, quibus vitari potest, sed etiam habitudinem, quam dicunt inter se, & relate ad ipsum actum: ad eam enim spectat omnia hæc inter se conferre, ut possit dicere, quid fugiendum sit hæc & nunc; sed, concessis prudentiis partialibus determinatis foris ad omnem materiam, non posset homo cognoscere prædictam habitudinem; sicut nec sensus externi queunt cognoscere, & discernere habitudinem, quam sensibilia externa dicunt inter se, & propterea datur alius sensus communis omnia hæc sub altiori ratione attingens: ergo opus est ponere vnam prudentiam indivisibilem omnes materias virtutum moralium sub altiori ratione respiciens: Ad eum modum, quo ponitur vna, & indivisibilis Logica omnium scientiarum directiva.

8 Refellitur *secundò*, ostendendo, concessis prudentiis partialibus, nullam esse perfectam, nisi connectatur cum cæteris, neque dicere fir-

miter, & promptè actum castitatis, in quo consistit perfectio prudentiæ, nisi connoscet consortium aliarum, necnon & virtutum omnium moralium. Siquidem, ut prudentia sit perfecta, seu dicatur facile, promptè, & firmiter actum castitatis, debet supponere rectificatum appetitum circa omnes materias, quibus actus huiusmodi fœdari potest: vniuscuique enim iudicæ circa quamlibet materiam prout est ad illam affectus; sed absque prudentiis partialibus versantibus circa illas materias, & sine virtutibus circa illas materias, & quas ipsæ prudentiæ supponere debent ob rationem proximè inclusam, appetitus non est rectificatus circa materiam fortitudinis, liberalitatis, iustitiæ &c. vt ex se liquet: ergo nulla prudentia determinata ad materiam castitatis esset perfecta sine alijs prudentiis, & virtutibus moralibus.

9 Refellitur *tertiò*, ostendendo virtutem solum castitatis non inclinare persè ad contemnendas minas, & pecunias. Tum, quod non inclinatur persè ad contemnendas eas secundum se consideratas; sed nec vt relatas ad ipsam castitatem: ergo non inclinatur persè, & ab intrinseco ad contemnendas minas, & pecunias. Maior probatur: nam supponamus, quod malum quod imminet, & quod passio divitiarum, quæ corrigenda est, est vehementis: hæc autem materię pertinent persè ad alias virtutes, puta ad fortitudinem, & liberalitatem, & non vtrunque, sed ad eas non parim roboratas & perfectas: ergo secundum se considerata nequeunt inspicere à castitate. Patet consequentia: ipsa esset formaliter conjunctè fortitudo, & liberalitas, vtpotè respiciens materias proprias illarum. Ex quo minor manet probatamam nulla virtus potest inclinare absolute in materias aliarum virtutum, sicut nec vifus potest audire, nec auditus videre: ergo castitas ex suo constitutivo intrinseco nequit vincere omnia impedimenta versantia circa materias aliarum virtutum.

10 Dices quod virtus castitatis non redditur imperfecta ex defectu fortitudinis (v. g.) quia non pertinet ad eam hominem dirigere circa omnia obiecta. Rectè: Ergo si virtus castitatis obliquatur ex defectu fortitudinis dirigentis hominem ad subeundum quodlibet malum terribile, absolute nequit esse perfecta. Probatur consequentia: nam virtus, quæ ex quocumque capite facile perit, nequit dici perfecta, vt colligitur ex distinctione virtutis perfectæ supra tradita; sed virtus castitatis facile perit, nisi appetitus firmetur per fortitudinem ad subeundum malum terribile: ergo ex defectu fortitudinis redditur absolute imperfecta. *Roboratur hoc*: Nam mulier casta ruens in peccatum incontinentiæ absolute est incasta; sed saltem ex defectu fortitudinis, quando imminet terribile malum, facile ruit: ergo, deficiente for-

for-

fortitudine, nequit dici, nec est perfecta castitas.

Mitto aliam evasionem Adversariorum, assertionem suam non pendere per se ab alijs virtutibus, quamvis alia virtutes nequeant existere sine prudentia. Tum, quia ex dictis satis manet præclusa. Tum etiam: quia actus proprius prudentiæ est imperium infallibiliter conexum cum actu virtuosum, & dependens ex motione & efficacia appetitus, cuiusque rectitudine: ergo pariter prudentia intellectus, & virtus in appetitu producuntur, intenduntur, & perficiuntur. Tum deique: nam imperium prudentiæ supponit rectum iudicium de re eligibili, sed huiusmodi iudicium, vt sit firmum, supponere debet appetitum rectè dispositum, & firmiter; quia vniuscuique iudicæ, sicut est affectus: ergo prudentia saltem perfecta videatur ex rectitudine perfecta appetitus. Videatur D. Thom. q. 5. de Verit. art. 2.

## §. III.

## Argumenta Scoti, &amp; eius Scholæ.

11 **A**Dversus nostram assertionem potest argui triplici genere argumentorum; itaut per primum ostendatur, virtutes morales non esse adinvicem connexas: per secundum, virtutes non esse connexas cum prudentia; & per tertium, prudentiam non esse connexam cum alijs virtutibus moralibus. Idcirco distinctionis gratia omnia argumenta proponemus ordine præscripto.

Arguitur *primò*, & suaderi contenditur, virtutes non esse inter se essentialiter connexas adhuc in statu perfecto. Nam virtus vna moralis secundum suam essentiam non est essentialiter connexa cum alijs: ergo nec in statu perfecto. Consequentia probatur: tum, quia quælibet virtus, etsi imperfectissima, si perveniat ad statum virtutis, prout distinguitur à dispositione, est eiusdem speciei essentialis cum virtute in statu perfecto: ergo si vna virtus moralis secundum suam essentiam non est essentialiter connexa cum alijs, nec debet esse in statu perfecto. Tum etiam: nam de ratione virtutis secundum suam essentiam est inclinare in opus bonum bene agendum; sed in hoc consistit perfectio virtutis iuxta explicationem traditam à Div. Thom. ergo idem quod prius.

Et confirmatur: Nam vna virtus moralis naturalis non solum secundum suam essentiam potest acquiri sine alijs, sed etiam vt perfecta: ergo non est cum alijs essentialiter connexa. Antecedens quoad primam partem potius debet supponi, quam probari: quia non est credibile, quod simul occurrant omnes materię, in quibus exercerentur virtutum actus. Quoad secundam probatur: tum, quia aliqua virtus tunc acquiri-

tur in statu perfecto, quando ex pluribus & iteratis actibus generatur, & intenditur; sed potest quis exercere, & iterare actus (v. g.) temperantiæ, qui exerceat actus aliarum virtutum: ergo potest vna virtus sine alijs adhuc vt perfecta acquiri. Tum etiam: nam quando vnum perfectibile dicitur ordinem ad plures perfectiones partiales, potest esse simpliciter perfectum secundum vnam in summo; & simpliciter imperfectum secundum aliam; vt liquet in homine, qui potest esse summè dispositus quoad visum, nihil habendo de auditu: ergo potest esse perfectè dispositus per temperantiæ, nihil habendo de alia virtute. Tum denique: nam licet sint plures virtutes se invicem iuvantes, sicut humilitas, & patientia, vel sicut abstinentia, & castitas; alia tamen sunt ita independentes, vt nullo modo se iuvent, nec ad maiorem facilitatem in suis actibus sibi sint viles: veritates enim in loquendo non iuvantur à castitate, nec temperantia à magnanimitate: ergo hæc virtutes possunt esse perfectæ in suo genere realis.

12 Hoc argumentum cum sua confirmatione, si convinceret probat, virtutes morales in gradu heroico non esse essentialiter connexas. Siquidem virtus in gradu heroico non distinguitur specie essentiali a seipsa secundum suam essentiam, id est, prout est habitus bonus: & quia, si in gradu intenso, & perfecto vna virtus non dependet ab alijs, vel disparatis, vel regulariter se iuvantibus, non est, cum in gradu heroico ab alijs dependeat; est tamen certum sit etiam apud Adversarios, virtutes in prædicto gradu esse connexas, vel immediate, vel ratione tertij, id est, prudentiæ.

Respondetur ergo ad argumentum concedendo antecedens; & negando consequentiam. Ad cuius primam probationem diceadum est, quod licet virtus perveniens ad statum virtutis sit eiusdem speciei cum virtute vt perfecta quoad essentialia speciei, scilicet, scilicet, verò quoad essentialia perfectio: sicut patet ex eiusdem speciei cum viro quoad essentialia speciei, scilicet, verò quoad perfectionem, & statum. Et ratio huius discriminationis est: quia virtus quoad perfectionem, & statum potest recedere ab omnibus impedimentis reperitis non solum intra propriam materiam, sed etiam in materijs aliarum virtutum; quod non potest virtus secundum suam essentiam præcise considerata. Per quod constat ad secundam: Nam de ratione virtutis secundum suam essentiam non est inclinare in bonum bene, hoc est, faciliter, promptè, & firmiter in qualibet occasione, sed tantum in ijs, in quibus non versantur impedimenta in alijs materijs vincendis: quia hoc pertinet ad virtutem in statu perfecto ex consorcio, & iuvamine aliarum virtutum.

13 Ad confirmat. respondetur, negando antecedens, quoad secundam partem. Cuius nulla probatio convincit. Non prima: quia falsum est, vir-

vir-

virtutem in statu perfecto acquiri præcisè per repetitionem actuum intra suam materiam, sed necesse est, quòd miscantur cum illis actus aliarum virtutum: nam virtus in statu perfecto petit in quacunque occasione, ex ijs que regulariter occurrunt, promptè, & firmitè virtuosè operari: & hoc affertur secum actus plurium virtutum: v. g. mulier vxorata ad non violandam castitatem coniugalem, si inest terribile malum, debet elicere simul cum actu castitatis actum fortitudinis: & vsquedum offerantur hæ; & similes occasiones pertinentes ad alias virtutes, & vsquedum appetitus illis ex repetitione actuum sit rectificatus, non potest dici, quòd habet castitatem in statu perfecto.

Nec secunda: quia nequit negari, dari maiorem connexionem inter virtutes morales, quàm iuxta sensus externos animales; cum experientia constat, vnum sensum nullum subsidium ad sui exercitium alteri præstare, quin potius ipsa experientia constat, ex carentia alicuius alterum affinem acui: quia natura provida refarcire conatur in vno, quòd perditur ex defectu alterius. Oppositum convenit virtutibus, quia adhuc Adversarij non negant, virtutes mutuo se iuvare. Vnde illa probatio solum habet in illis perfectioribus, quæ adinvicem non dependent, nec fiuntur.

Ad tertiam ex parte constat ex dictis num. 3. Nam, vt ibi insinuavimus, quæstio procedit de virtutibus principalibus, & communibus omni hominum conditioni, vt sunt cardinales: Et certe si connexio inter has admittatur, quidquid sit de alijs, quarum materia regulariter non comitantur, nec ab extrinseco se iuvant, vt tenet sententia contraria, hæc totaliter ruit. Sed videatur D. Thom. in præsent. ad 1. vbi docet quòd acquisitis in statu perfecto virtutibus, quantum ad ea quæ communiter in omni vita hominum occurrunt agenda, & quarum materia aliquam connexionem habent, homo alias habet in potentia propinqua.

14 Arguitur secundò, & contenditur, virtutes non esse connexas cum prudentia. Nam dantur prudentiæ partiales realiter distinctæ, itaque cuilibet virtuti correspondeat sua propria prudentia partialis; sed virtus temperantia (v. g.) non est connexa cum prudentia correspondente virtuti fortitudinis: ergo nec virtutes sunt connexæ inter se ratione prudentiæ. Probo maiorem (deinde probaturus minorem) nam sicut ars est recta ratio factibilium; ita prudentia est recta ratio agibilium; sed diversæ sunt artes iuxta diversitatem factibilium, vt constat in arte venatoria, militari, chirurgia, & alijs contentis sub hoc versu:

Rus, nemus, arma, rates, vulnera, lana, faber:  
Ergo etiam dantur prudentiæ partiales distinctæ iuxta diversitatem agibilium, seu virtutum. Ex quo minor probatur: nam aliquis potest esse per-

fectus artifex circa aliquid agibile, & non circa aliud: ergo etiam potest perfectè dirigere ad actus temperantia, quàm dirigatur ad actus fortitudinis; ac proinde fortitudo non est connexa cum prudentia propria temperantia.

Hic argumento factis respondetur ex dictis num. 7. & 8. Nam ex ibi dictis constat, non dari prudentias partiales: & estò concedatur, nullam esse perfectam absque consortio aliarum; nec non absque cõsistentia omnium virtutum moralium. Et solum restat explicare disparitatem inter artem, & prudentiam. Sed ante omnia concedimus Adversarijs cum D. Thom. 2. 2. quæst. 50. prudentiam negativam, politicam, & æconomicam specie distingui tam inter se, quàm à monastica: sed non propterea prudentia monastica debet multiplicari ad multiplicationem virtutum, quas dirigit; sicut nec Logica multiplicatur ad multiplicationem aliarum scientiarum. Et ratio est eadem vtrobique: nam sicut vna, & eadem Logica sub vna alicui ratione potest omnes alias scientias dirigere, ita vna, & eadem prudentia potest sub alicui ratione dirigere omnes virtutes morales pertinentes ad finem communem vite humanæ. Ad quem finem quia non ordinantur prudentiæ supra relate, sed ad alios particulares, propterea distinguuntur tam inter se, quàm à monastica: sed vnaquæque abque multiplicatione partialium exigit se extendere ad omnia, quæ conducunt ad finem proprium.

Hinc progredimur conferre disparitatem inter artem, & prudentiam. Quæ faciliè constat ex concessis ab ipsi Adversarijs; siquidem sæpè concedunt prudentias partiales, sicut & virtutes morales mutuo se iuvare, & perficere saltem extrinsece; cum tamen planum sit, artes in argumento relatas se habere omnino disparatè. Ex his ergo concedimus, dari plures artes, sed negamus dari plures prudentias partiales: quia ad quacunque prudentiam spectat circumspicere omnia impedimenta, quæ inter omnes materias versantur, & à quibus fedari potest actus (v. g. castitatis) & supposita hæc circumspicione, castitatis præstituræ finem; alias nullo modo esset prudentia. Vnde necesse est, quòd prudentia directivè castitatis attendat ad materias aliarum virtutum, & sic non est determinata ad materiam castitatis: quare inestè multiplicatur prudentiæ partiales. Quæ ratio, vt liquet, non urget in arte (v. g.) dirigente ad venandum. Videatur D. Thom. in præsent. ad 4. argumentum.

15 Arguitur tertio, & suadet, prudentiam non esse connexam cum virtutibus moralibus. Nam voluntas, absque errore in intellectu præcedente, potest peccare: ergo poterit dari actus prudentiæ, & per plures actus acquiri habitus prudentiæ absque actu recto ex parte voluntatis, & absque habitu moralis virtutis ac-

qui-

quisito. Antecedens multipliciter suadere conatur Scotista. Sed infeliciter, quia hoc argumentum cum omnibus suis probationibus statim ruit, si recolatur dicta à nobis tract. de Angelis disp. 3. dub. 7. §. 1. & tract. de Prædest. dub. 2. vbi probavimus ex vna parte, imperium prudentiæ esse infallibiliter connexum cum recta electione, & vsu; & ex alia, dependere ad sui efficaciam ab actu voluntatis, scilicet, vel à recto vsu virtutis moralis, vel à recta electione. Vnde nec virtus moralis potest produci, intendi, aut perfici, quin simul producatur, intendatur, & perficiatur prudentia; nec prudentia potest produci, intendi, aut perfici sine virtutibus moralibus.

#### §. IV.

Cuidam interrogationi fit satis.

16 Inquires: An veritas nostræ assertionis intelligenda sit de connexionem virtutum in omni statu? Pro cuius clariori intelligentia, nota primò, duplicem esse humanæ naturæ statum, videlicet statum naturæ integræ, & statum naturæ per gratiam elevatæ. Status naturæ integræ tunc accideret, si Deus eam exornaret virtibus, illustrationibus, & alijs huius generis pertinentibus præcisè ad ordinem naturalem: Ex quo fieret, quòd potentia consequenti homo posset diligere super omnia Deum auctorem, & finem naturalem. Status elevationis naturæ consistit in eo, quòd Deus elevat naturam ad finem supernaturalem cum dono gratiæ sanctificantis. Qui vltimè bipartiri potest: nam sumi potest pro statu innocentie, vel pro statu naturæ reparatæ. His accedit status naturæ lapsæ, qui essentialiter per hoc constituitur, quòd avertat hominem à Deo sine, & auctore supernaturali directè; & indirectè ab eodem vt sine, & auctore naturali, convertatque in bonam proprii suppositi, connotando averfiones, seu irreferibilitates prædictas. Discretionem horum statuum subius trademus fortè tract. seq. vel tract. de Gratia.

Nota secundò, aliud esse virtutem esse absolute, & simpliciter virtutem; aliud esse perfectam: Nam ad primum sufficit gaudere essentia virtutis, quamvis desituta pluribus: ad secundum verò requiritur connotatio omnium quomodolibet ad ipsam virtutem conducentium. Hoc enim non obscure apparet in homine, qui in quolibet statu habet absolute essentiam hominis: si privatur debitis accidentibus, non perfectus constituitur. His breviter prænotatis:

17 Respondetur primò, virtutes morales hominis existentis in statu naturæ integræ esse posse perfectas, ac proinde connexas. Notat verò Caiet. non fore dicendas perfectas theologice: nam adhuc extrinsece non ordinantur ad fi-

nem vltimum supernaturalem (vt supponimus) quo pacto solum possunt esse ordinis theologici; ideoque solum essent perfectæ philosophice. Exprobat brevitè: nam in illo statu nihil obesse adhuc, vt homo per virtutes inclinaretur in bonum rectè exequendum; vel ad hoc, vt dirigatur à prudentia omnia illius status prospicienti; sed hoc, & non amplius requiritur, vt sint perfectæ, & connexæ, vt vidimus in hoc dubio: ergo posset illas habere in statu perfecto. Nec vim ponimus in eo, quòd acquirantur proprijs actibus, aut à Deo infundantur, quia ad præsens parum refert.

18 Respondetur secundò, virtutes morales naturæ actualiter per gratiam elevatæ esse posse perfectas, & adinvicem connexas; secus verò sine illa. Prior pars aperte constat ex dictis in hoc dubio: quia, supposita gratia, non est vnde repugnet, hominem ad statum perfectum, imò & heroicum virtutum iterato exercitio illarum pervenire: ergo possunt esse perfectæ, & connexæ in statu naturæ per gratiam elevatæ. Posterior verò pars suadet: nam homo in peccato existens est aversus à Deo sine naturali saltem indirectè, & directè à sine supernaturali; consequenterque conversus ad bonum proprii suppositi, vt supra monuimus, & alibi suffus explicabimus; sed virtus moralis hominis sic affecti nequit in bonum bene agendum inclinare, in quo consistit perfectio virtutis: ergo nequit esse perfecta, nec cum alijs perfectè connecti formaliter. Minor probatur: nam vt virtus moralis sic inclinaret, opus est finitè inclinare in opus virtutis; quòd sanè fit, quando non adest in virtuosissimo speciale motivum eum ab exercitio virtutis incepto deterrens; sed aversus à Deo, & in peccato gravi existens: facillimè deserit motiva honesta ob amorem, qui in eo præponderat, boni commutabilis; & proprii: ergo virtus moralis hominis gravi peccato infecti nequit in bonum bene agendum inclinare. Nec contra hæc responsum, sicut nec contra præcedentem est obiectio alicuius momenti.

19 Ceterum cum in homine sic constituto non sit extinctum liberum arbitrium, vt diffinit Trident. sess. 6. can. 5. ex quo fit, posse aliquos actus virtuosos efficere, potest acquirere aliquas virtutes; quæ habeant veram essentiam virtutis; debiles tamen, & imperfectas propter rationem proximè traditam. Quocirca virtutes morales naturales quoad essentiam virtutis non dependent à gratia, & charitate, sicut nec gratia, nec charitas secum illas afferunt. Ratio primi est: quia potest stare, quòd iustus habens plures virtutes acquisitas fœderetur, aliquo peccato gravi; sed tunc non amittit statim prædictas virtutes quoad suam essentiam, quia ad hoc opus est iteratis actibus quoad ergo virtus naturalis non dependet quoad eius essentiam à gratia, & charitate. Ratio secundi est: Nam in parvulo re-

gen.

center baptizato datur gratia cum charitate, co-terisque virtutibus perse infusus absque vlla virtute naturali. Idem apparet in eo, qui sedatus peccato gravi, vitijque valde radicatis, vnico actu attritionis ad sacramentum accederet.

20 Sed videtur difficultas: An, supposito quod peccato mortali se sedans prius habuerit virtutes naturales perfectas, possit eas conferre quoad perfectionem, & statum, sicut eas conservat quoad intensiorem? ¶ Respondetur negative cum Div. Thom. in præf. art. 2. Quia habitus virtutum moralium naturalium directe expelluntur per habitus viciosos directe sibi oppositos; in homine autem peccato gravi infecto esset moraliter impossibile vitia non acquiri: nam cum sit in malum, seu saltem in non bonum habitualiter propensus, facillimo negotio positive operabitur mala, vel saltem non operabitur bona. Cessantibus autem operationibus bonis, inquit D. Thom. art. 3. & vrgentiori titulo frequentatis malis, datur locus acquisitioni viciarum. Huiusmodi autem, vt potè directe virtutibus naturalibus opposita, nequeunt non physice eas expellere. Quo argumento satis declaratur nedum quoad perfectionem, verum nec quoad materiale intentionem posse in peccatore permanere virtutes morales-naturales.

21 Sed obijciat: In statu gratie potest generari in homine aliquod vitium perfectum in esse vitij: ergo potest etiam acquiri aliqua virtus perfecta in statu peccati. Pater consequentia à paritate. Et antequam probatur ex doctrina N. Salmant. de Peccatis disp. 4. à num. 1. probantium in homine iusto per repetita mendacia generari vitium mendicium: quia ex nullo capite hoc repugnat: cum mendacium officiosum gratie non opponatur, & pluries repetitum nequit non generare vitium.

Respondetur, quod licet vitium, quod absolute ad finem vite humane non conducit, possit absolute, & simpliciter generari in statu gratie, quale est vitium mendicium, propter rationem in obiectione inclusam; non vero in statu perfecto: quia per gratiam, & virtutes infusas cohibetur à suis actibus, quatenus ex se disponunt ad mortale peccatum. Et si hoc non obstante, prædicti actus iterantur, tunc status gratie languescit, ellque ruina obnoxius, proindeque non est perfectus, & vitium est in via proxima ad suam perfectionem in ratione vitij. Nec propter hoc alia vitia sunt in prædicta dispositione: quia cum inter vitia sint plura inter se quasi contraria per excessum, & defectum, non oportet, quod si vnum est in gradu perfecto, afferat alia in eodem statu; imo nec quoad entitatem. Et per hoc patet disparitas, cur virtus vna nequeat generari in statu perfecto sine gratia: quia quoad statum perfectionis dependet à ceteris virtutibus, & prudentia, & hæc à gratia, cum nequeat dictare perfectè in homi-

ne existente in peccato mortali propter habituales conversionem ad bonum commutabile.

Hic solet inquiri, an virtutes morales infuse sint connexæ cum charitate, & charitas cum illis? Sed ad hoc satis constat ex dictis disp. præced. dub. 5. vbi probavimus esse connexas cum gratia quoad infusionem, & existentiam. Accedit, quod virtus huiusmodi dependet essentialiter à prudentia infusa, & hæc supponere debet rectificationem circa virtutum finem supernaturalem, quæ vnice provenit à charitate.

DUBIUM II.

Verum dona Spiritus-sancti sint habitus à Virtutibus etiam infusis distincti?

Inter proprietates virtutis, de quibus hic loquimur, vt monuimus in limine disputationis, est distinctio, & pro ea tantum inquirimus, an dona Spiritus-sancti sint habitus ab omni genere virtutum distincti? Pro cuius luce aliqua notanda veniunt.

§. I.

Nonnullæ annotationes.

22 Nota, donum Spiritus-sancti sumi tripliciter. Primò generaliter pro quocunque beneficio à Deo nobis concessio, quod, cum procedat ab amore Dei, qui Spiritui-sancto appropriatur, donum Spiritus-sancti dici potest; & hoc pacto omnia beneficia tam naturalia, quam supernaturalia nobis à Deo concessa Spiritus-sancti dona dicuntur. Secundo specialius pro beneficijs à Deo collatis promouentibus nos ad salutem vite eterne, & iustificationem, quæ etiam Spiritui-sancto appropriantur; & hoc modo donum continet tam virtutes infusas, quam omnes formas supernaturaliales, quoniam incarnationem Verbi divini: & propterea D. Thom. infra quest. 102. art. 3. in corp. dixit, quod præcipuum omnium donorum Dei fuit filius eius. Tertio specialissimè pro quibusdam singularibus perfectionibus, quæ peculiari quadam ratione, & per antonomasiam Spiritus-sancti dona vocantur, qui ex speciali amore procedunt: & propterea dum Christus post Ascensionem suam dedit nobis suam moxam, videlicet Spiritum-sanctum, hæc dona plenius largitum fuisse dicitur, iuxta illud Apost. ad Ephel. 4. Ascendens Christus in altum captivam duxit captivitatem, dedit dona hominibus, quorum præcipuum munus inter alia est hominem disponere ad specialens Spiritus-sancti motionem, & instinctum recipiendum.

23 Hæc autem specialissima dona, quæ sub numero septenarium comprehenduntur in illo

Isaie

Isaie 11. Et requiescet super eum Spiritus Domini, &c. esse de fide, quod extiterunt, non solum in Christo, sed extitere etiam in nobis (vt communis consensus Theologorum tenet) vt certum supponendum est, quicquid sentiat Lorca quest. 68. in qua de eis disputat D. Thom. Et colligitur ex plurius sacre pagine testimonijs, quæ referat satis erudite sapientissimus, mihi que maxime venerabilis mag. à Sancto Thoma, nulli secundus in explicatione horum donorum; vt merito dicam, quod levavit se supra se. Accedit testimonium Ecclesiæ, quæ in hymno Spiritus sancti sic canit: Tu septiformis munere: Et iterum: Da tuis fidelibus in te confidentibus sacrum septenarium: ergo verum est iuxta fidem, hæc dona in nobis extitere; alias Ecclesiæ pro suis fidelibus peteret, quæ illis non dantur.

24 Supponendum est secundò, hæc dona esse perse infusa, & supernaturalia. Ita communiter Theologi, ex quibus nonnulli sentiunt esse de fide. Et breuiter suadet: nam hæc dona dicuntur in scriptura nobis dari à Deo per gratiam suam, per spiritum suum de cælo advenire, & dona Dei esse; sed non ex alijs verbis colligimus virtutes perse infusas tales esse, & supernaturales, v. g. fidem, & charitatem: ergo hæc dona sunt perse infusa, & supernaturalia. Maior probatur ex illo Isaie supra relato, vbi dona hæc, quæ in Christo fuerunt, esse à Spiritui-sancto dicitur; sed in Christo, & in nobis sunt eiusdem rationis: ergo sunt in nobis dona Dei, & per gratiam, & spiritum suum nobis concessa.

Præsertim quia de his donis, prout in nobis sunt, eodem modo loquitur scriptura, ac de illis prout in Christo: Nam Ecclesiast. 15. dicitur: Adimplebit illum spiritu sapientie, & intellectus. Et deducitur à signo: nam Philosophi naturales, vt Ethici, nihil de eis cognoverunt, aut tractarunt: ergo signum est, esse supernaturalia, & perse infusa: quia incredibile videtur, quod eorum cognitionem subteringerent, si essent entitative naturalia, & nostris actibus acquiribilia, qui adeo peripicue de omni genere virtutum naturalium loquuti sunt.

Quibus suppositis duo præcipue de his donis secundum rationem genericam consideratis inquirimus. Primum est, an sint habitus? Secundum est, an sint habitus distincti à virtutibus theologicis, & moralibus perse infusis? ¶ Circa primum difficultatem prima sententia docet, esse actus speciales virtutum. Ita quidam Recentiores, supprelo nomine relati à Lorca. Secunda tenet, esse veros habitus. Ita Div. Thom. in præf. quest. 68. art. 3. quem sequuntur communiter Theologi. ¶ Circa præcipuam, & secundam difficultatem etiam duplex versatur sententia: prima asserit, non esse habitus realiter distinctos à virtutibus. Pro qua refertur Scot. in

3. dist. 34. quest. vnica, quem sequuntur omnes eius discipuli, & Lorca in præf. membr. 2. Secunda asserit, esse habitus realiter distinctos à virtutibus tam naturalibus & acquisitis, quam infusis. Ita Div. Thom. ibidem art. 1. quem sequuntur N. Salmant. in suo Arboe virtut. num. 7. Ioan. à Sancto Thoma disp. 28. art. 2. & communiter eius discipuli.

§. II.

Sententia D. Thome à nobis assertionibus explanatur.

25 Dicendum est primò, dona Spiritus-sancti esse vere & proprie habitus, prout ab actibus, & dispositionibus transcendentibus distinguuntur. Ita colligitur ex sacra pagina locis supra relatis, vbi hæc dona significantur per modum permanentiæ, vt in illis verbis: Requiescet &c. & in illo Ioan. 14. Apud vos manebit: id est, Spiritus-sanctus, ratione horum donorum.

Et probatur ratione D. Thom. Nam ita se habent hæc dona ad hominem in comparatione ad Spiritum sanctum, sicut virtutes morales ad vim appetitivam relate ad rationem; sed virtutes morales sunt vere habitus disponentes hominem ad promptè obediendum rationi: ergo etiam hæc dona sunt habitus disponentes hominem ad obediendum Spiritus-sancti motioni: Maior solum eget aliquali explicatione. Nam sicut dantur quædam principia elicitive operationum, quæ eliciunt ex directione rationis, quæ sunt habitus virtutum; ita oportet dari quædam principia ad eliciendas similes operationes ex directione, & motione Spiritus-sancti: ergo non est, cur principia illa sint habitus, & non ita.

Et confirmatur: Nam principia, quæ dantur ad hoc, vt homo eliciat connaturaliter aliquas operationes, sunt vere & proprie habitus; sed hæc dona dantur, sive in Christo, sive in nobis, vt homo connaturaliter eliciat operationes ex motione, & instinctu spiritus sancti: ergo sunt vere habitus. Maior est certa: nam qui connaturaliter elicit suas operationes, videtur assuescere, & permanenter operari: oppositum evenit, dum operatur per dispositionem transentem: & propterea dispositus per virtutes, quæ sunt vere habitus, iam elicit connaturaliter operationes virtuosas; e conversò, dum elicit illas per dispositionem transentem (non assuescit, vt liquet in his, quibus donantur aliquæ gratiæ gratis datæ. Minor verò suadet, non est, cur dantur principia ad hoc, vt homo eliciat connaturaliter opera virtuosa iuxta directionem rationis, & non dantur, vt illa connaturaliter eliciat iuxta directionem Spiritus-sancti. Vel redde rationem disparitatis.

26 Pro huius declaratione obijciat: Prophe-  
tia non est habitus, sed dispositio: ergo dona  
non sunt habitus, sed dispositiones. Prob. con-  
sequenter: Ideo prophetia non est habitus, quia  
licet sit principium cognitionis propheticae, non  
tamen habet homo in hac vita claram cogniti-  
onem principiorum, ex quibus deducitur cog-  
nitio prophetica, vt docet D. Thom. 2. 2. quest.  
171. art. 2. sed nec dona supponunt cogniti-  
onem permanentem principij, ex quo derivantur:  
siquidem derivantur ex instinctu Spiritus-sancti,  
qui non cognoscitur permanentiter, sed tantum  
transcendit: ergo si prophetia non est habitus,  
nec dona.

Roboratur hoc: sicut virtutes morales se-  
quuntur ductum rationis vt manifestatum per  
habitum synderesis, aut prudentia, ita dona  
sequuntur ductum Spiritus-sancti vt manifesta-  
tum per instinctum: sed virtutes morales sequen-  
tes ductum rationis supponunt habitum pruden-  
tia, per quem ipsa ratio cognoscitur, & propte-  
rea sunt habitus: ergo cum dona non supponant  
aliquem habitum, per quem instinctus Spiritus-  
sancti cognoscatur, sequitur, quod non sint  
habitus.

Et confirm. Nam gratia gratis datae non  
sunt habitus, sed dispositiones: ergo nec dona.  
Prob. consequentia: nam non est, cur ad illa-  
rum operationes sufficiant motiones transcendentes,  
& ad operationes donorum non sufficiant.

27 Ad obiectionem respondetur, conceden-  
do antecedens; & negando consequentiam. Ad  
cuius prohibitionem, concessis pramissis; negari  
debet consequentia. Ratio disparitatis est:  
quia prophetia datur ad manifestandum aliquam  
veritatem obiectivam, vel intellectualiter in se,  
vel in visione aliqua imaginaria; & quia ad vi-  
sionem huius veritatis firmendam non habet in  
se principium clarè visum, vnde derivatur talis  
firmatio, quia solum continetur in visione es-  
sentia divina, ideo communicatur ab extrinse-  
co lumine per modum transcendentis tantum, quo  
manifestatur res prophetialis extra suum princi-  
pium. At dona Spiritus sancti non sunt ad ma-  
nifestandam, & firmendam aliquam veritatem  
de novo, sed ad iudicandum de rebus iam cre-  
ditis per fidem, aut per lumen gloriæ, quæ ha-  
bitualiter in nobis sunt, & ad eas capiendas ex  
conaturali quadam experientia, & gustu; &  
instinctus Spiritus-sancti solum est motio, seu  
excitatio ad hanc experimentalem cognitionem,  
quam humanæ mentes nescientes patiuntur. Et  
propterea dona ad hanc cognitionem requisita  
oportet esse habitus, quamvis instinctus ille non  
cognoscatur in se.

Ad robur difficultatis respondetur, quod  
sicut virtutes morales diriguntur per rationem,  
seu prudentiam, quæ est principium habituale;  
ita dona regulantur per fidem, aut lumen gloriæ,  
quod est principium habituale; & instin-

ctus solum habet excitare ipsa dona: & propte-  
rea non est necesse, quod cognoscatur. Vnde si-  
cut virtutes morales sunt habitus, quia sepon-  
nant, quasi sui seminarium, aliquid habituale,  
videlicet synderesim, & prudentiam; ita dona  
debent esse habitus, quia supponunt etiam ali-  
quod habituale, nempe fidem, vel lumen gloriæ,  
vt sui seminarium.

Ad confirm. respondetur, concessio ante-  
cedenti; & negando consequentiam. Cuius discer-  
minis ratio est: quia gratia gratis datae non  
ordinantur ad utilitatem propriam, sed ad utili-  
tatem aliorum, neque fundantur in visione firmâ,  
& permanenti principiorum, quibus inni-  
tentur; quæ, cum altiora sint, non possumus  
videre. At dona ordinantur ad perfectionem ha-  
bentis, regulanturque per principia ex fide cog-  
nita, sicut charitas, licet specialis Spiritus-sancti  
instinctus, & motione excitata, & cognita; &  
hac ratione quavis gratia gratis datae non sint  
habitus, bene verò hæc dona.

28 Dicendum est secundò, hæc dona di-  
stingui specificè ab omni virtute, tam acquisita,  
quam infusa, sive theologica, sive moralis. Et  
probatur primò à Div. Thom. ex D. Greg. 1.  
Moral. vbi septem dona significati per septem  
filios Iob dicit, & distinguit eos à tribus virtu-  
tibus theologicis, significatis per tres filias Iob.  
Et 2. Moral. distinguit ea à virtutibus cardina-  
libus, significatis per quatuor angulos do-  
mas.

Deinde, vt probetur ratione, supponen-  
dum est ex infra dicendis, dona hæc esse septem,  
ex quibus quatuor pertinent ad intellectum,  
nempe sapientia, scientia, intellectus, & consi-  
lium, & alia tria, videlicet fortitudo, pietas, &  
timor ad appetitum. Hinc ergo probatur: nam  
dona pertinentia ad intellectum nequeunt identi-  
ficari cum virtutibus theologicis: nec dona  
pertinentia ad appetitum cum virtutibus mora-  
libus: ergo distinguuntur specie. Antecedens  
quoad primam partem suadet: nam imprimis  
non identificantur cum spe, & charitate: quia  
sunt in diversis potentijs, eliciti quoque actus per-  
tinentes ad diversas potentias: deinde nequeunt  
identificari cum fide; quia in Christo existunt  
hæc dona, & fides non: ergo distinguuntur  
dona intellectiva à virtutibus theologicis.

Neque prodest recursum ad distincta dona  
in via, & in patria; ita ut dona hæc prout in via  
identificentur cum fide, & spe, & in patria cum  
scientia infusa, & charitate. Non (inquam)  
prodest: Tum, quia hæc distinctionem donorum  
esse purum signum ex eo constat, quia non  
deducitur ex Scriptura, & Patribus. Tum &  
præcipue: quia scriptura de fide, & spe proclama-  
tur, quod evacuantur in patria; & de donis,  
quod permanent: Et ita de timore Psalm. 118. di-  
citur: *Timor Domini sanctus permanens in sa-  
culum sæculi.* Et de dono sapientiæ dicitur 6.

Sapientia. Clara est, & que nunquam marcescit,  
sapientia.  
29 Deinde probatur idem antecedens quo-  
ad alia dona pertinentia ad appetitum. Nam hæc  
dona regulantur per præfata dona intellectiva,  
virtutes verò per prudentiam: ergo donum forti-  
tudinis, pietatis, & timoris nequeunt identifi-  
cari cum fortitudine, pietate, & timore, quæ  
sunt virtutes. Patet consequentia: nam non ob  
aliam rationem virtutes infusæ appetitivæ spe-  
cie distinguuntur a virtutibus acquisitis, nisi  
quia hæc regulantur à prudentia acquisita; illæ  
à prudentia infusa. Sed vt præcaueamus evasio-  
nes nonnullas contra hanc doctrinam.

30 Probatur ultimò ratione à priori, de-  
ducta ex D. Thom. in quest. supra relata art. 1.  
Nam habitus ad obiecta formaliter diversa ten-  
dentes nequeunt non specie distingui; sed ha-  
iustmodi sunt dona Spiritus sancti comparatè  
ad virtutes: ergo dona Spiritus-sancti distin-  
guuntur specie à virtutibus. Maior supponitur.  
Et minor probatur: nam habitus perse destinati  
ad sequendam diversam regulationem, citò at-  
tingant eandem materiam, habent obiecta for-  
maliter diversa; sed dona, & virtutes, citò at-  
tingant eandem materiam, perse destinantur ad  
sequendas diversas regulationes: ergo habent  
obiecta formaliter diversa. Maior imprimis li-  
quet in virtutibus perse infusis, & perse acqui-  
sitis; quæ habent obiecta formaliter diversa; ex  
eo quod virtus infusa procedit iuxta regulas  
prudentiæ infusæ; & virtus acquisita iuxta re-  
gulas prudentiæ acquisitæ; hincque probatur,  
operari ex diverso motivo, habereque obiecta  
formaliter diversa. Quod deservit præcipue pro-  
dromis pertinentibus ad partem affectivam com-  
paratè ad virtutes item affectivas. Prout per-  
tinet ad dona intellectiva, & virtutes item in-  
tellectivas, etiam liquet: siquidem videmus,  
quod ex diversa illustratione sunt in nobis plures  
perfectiones specie distinctæ, vt scientia in-  
fusa, prophetia, fides, &c.

Minor verò probatur: nam dona sunt de-  
stinata perse ad sequendum instinctum, & mo-  
tionem Spiritus-sancti supra humanum modum  
studium, & laborem; e contra verò virtutes sive  
infusæ, sive acquisitæ perse sunt destinatae ad  
sequendum ductum rationis, vt cadentes sub  
propria indolentia, & labore: Vel alijs terminis;  
dona sunt perse destinata ad sequendum ductum  
& instinctum Spiritus-sancti supra modum pru-  
dentialem, qui communitur nostrum captum  
adhuc elevatum per prudentiam infusam luperat;  
e contra verò omnis virtus, sive acquisita,  
sive infusa destinatur perse ad sequendum mo-  
dum prudentialem iuxta captum nostrum, &  
laborem: ergo dona, & virtutes, citò attingant  
eandem materiam, perse destinantur ad sequen-  
das diversas regulationes. Patet consequentia:  
nam instinctus Spiritus-sancti, prout regulat do-

§. III.  
Argumentorum enodatio.

31 **A**Dversus secundam, & præcipuam  
conclusionem arguitur primò  
Nam ad sequendum ductum Spiritus-sancti non  
requiruntur specialia dona, sed sufficiunt vir-  
tutes perse infusæ, vel theologicæ, vel morales;  
ergo vel dona non dantur, vel non distinguun-  
tur a virtutibus. Antecedens probatur: nam in  
exercitio prædictarum virtutum etiam homo  
movetur ex motione, & instinctu Spiritus-sancti  
non enim potest negari, quod dum homo con-  
vertitur ad iustificationem; quod fit per con-  
iunnes virtutes fidei, spei, charitatis, & peni-  
tentie, operatur ex motione, & instinctu Spi-  
ritus-sancti: ergo sufficiunt virtutes ad sequendum  
ductum Spiritus-sancti.

Et confirm. præcludendo communem so-  
lutionem: Nam propterea dona distinguuntur  
ad virtutibus, citò hæc etiam procedant ex  
instinctu Spiritus-sancti, quia motio virtutum  
est communis, vt potè ad actus communiter eli-  
citos, & motio donorum ad effectus extraordina-  
rios; sed hoc est falsum: ergo non distin-  
guuntur. Minor probatur: nam dona sunt in  
omnibus habentibus charitatem, vt tradit Div.  
Thom. in præf. art. 5. ad 1. item sunt necessaria  
ad salutem, vt ibidem docet art. 2. sed motio  
illa extraordinaria non est in omnibus iustis,  
vt experientia liquet in ijs, qui communi vita  
vivunt; neque necessaria est ad observantiam  
mandatorum, quæ in actibus virtutum consistit,  
& sufficit ad salutem: ergo.

Ad argumentum respondetur solutione in  
confirmacione insinuatâ: Nam licet ad omnia  
opera supernaturalia requiratur motio Spiritus-  
sancti, quæ specialis dici potest per ordinem ad  
communes motiones Dei in ordine naturali;  
intra ordinem tamen adhuc supernaturalium restat  
aliam motio specialissimam, quæ non datur ad qua-  
cunque opera supernaturalia, sed tantum pro  
actionibus donorum. Porro actiones donorum  
dupliciter possunt esse extraordinaria: vel ex  
parte obiecti, vt fortitudo Sanfonis, qui in  
mandibula alni aggressus est mille viros, & for-  
tudo S. Appolloniae se in ignem projicientis  
vel possunt esse extraordinaria ex parte subiecti,  
cui, quando nimirum materia est communis, di-  
cit tamen ex imperfectione subiecti aliquam im-  
proportionem cum modo regulari operandi  
illius. Dona autem Spiritus-sancti non solum  
dantur ad operandas actiones distictes priori  
modo, sed secundo: sunt quæ hoc est disticti-  
gen, quod illæ non funt necessariæ ad salutem,

benè verò ista: quia ratio multoties fluatur, nisi motione specialis Spiritus sancti à donis exacta firmaretur.

32 Quod vt clarius fiat: Notandum est, quod licet per fidem apprehendamus res supernaturales creditas, & per prudentiam, & virtutes morales infusas appetamus bona supernaturalia; intellectus tamen per has virtutes non penetrat illa mysteria nisi imperfectè, & iuxta modum naturalem: & hac ratione in pluribus deficit intelligentia coram recta, indigetque vel discursu theologicò, qui mille fallacijs est expolitus, vel instinctu Spiritus sancti, à quo dirigatur, ne deficiat. Fides enim secundum se versatur circa res credibiles, innixa tantùm discursui humano: & rationi, quæ multoties titubatur, & fluctuat circa credibilitatem earum, maxime tempore alicuius molestiæ tentationis. At verò filiosa dono Spiritus sancti tendit ad eas ex quodam experimentalis affectu, & cum experimentalis certitudine circa credibilitatem earum, quæ certitudo verbis explicari non potest adhuc ab his, qui hanc mysticam experientiam: tam ex parte intellectus, quam ex parte voluntatis patienter, ortam ex superiori aliqua illustratione omnem humanam industria excedit. Et propterea donum dicitur ordinari ad operationes extraordinarias, non solum priori, sed etiam posteriori modo. Et licet operationes priori modo extraordinariæ non sint necessariæ ad salutem, benè verò hæc posteriores: quia, persè loquendo, & necessariæ sunt ad observantiam mandatorum. Diximus persè loquendo: quia potest contingere, quòd non occurrat materia eorum, vt exerceatur: hoc autem ad necessitatem donorum se habet per accidens; dummodò necessaria sint pro difficultatibus, & impedimentis, quæ occurrere possunt, sicut virtutes necessariæ sunt ad salutem persè loquendo, licet non occurrat in aliquibus materia aliquarum virtutum.

33 Arguitur secundò (& erit replica contra præcedentem doctrinam). Nam multoties contingit, quòd virtutes elicant absque fulcramento donorum operà extraordinaria: ergo non requiruntur dona specicè distincta à virtutibus. Antecedens probatur primò in virtutibus theologiceis: nam fides in aliquibus est adeò extraordinaria, vt etiam montes transferat, & charitas ita intensa, vt etiam occidat; sed ad has operationes fides, & charitas non indigent donis altioribus, cum virtutes theologice sint perfectiores donis, vt docet Div. Thom. in hac quest. 68. art. 8. ergo sunt opera præcise virtutum. Secundò in virtute fortitudinis: nam opus illud, quo Samson occidit mille viros, non excedebat specificam rationem huius virtutis, quæ persè inclinat ad omnem sustententiam, & aggressiorem periculorum, licet adhuc requiratur extraordinarium auxilium: ergo, &c.

Et confirmatur: Nam non stat, quòd hæc

bona deseruiant ad opera extraordinaria; & quòd sint habitus permanentes, de quorum ratione est, quòd eis vtantur, cum volumus: nam opera illa non exercet quilibet inutilitatis pro suo arbitrio, sed potius, vt motus à Spiritu sancto, iuxta illud Apost. *Quicumque Spiritus Dei agitur, hi sunt filij Dei*, & vt instrumentum Dei, vt docet D. Thom. in præsent. art. 3. ad 2. ergo vel non distinguuntur à virtutibus; vel sunt aliquid per modum transeuntis.

Ad argumentum responderetur concedendo, quòd virtutes, maxime theologice, aliquando exercent opera extraordinaria, sed non nisi vt adiutæ per dona ex parte obiecti materialis, aut alicuius conditionis ad illum requisitæ: vt liquet in fide, quæ adiutur à dono intellectus non ad attingenda ipsa mysteria fidei immediate in seipsis, sed ad penetrandam credibilitatem eorum, discernendo ea ab erroribus. Cum quo rectè coheret, quòd virtutes huiusmodi sunt donis superiores: quia virtutes theologice attingunt Deum immediate in seipsis, cuius verò dona, sed tantum mediatè, in quantum attingunt aliquam conditionem, aut rationem materialem obiecti. Aliter se habent dona comparatiuè ad virtutes morales, quæ versantur circa medià, circa quæ etiam versantur dona, sed quia versantur circa ea sub altiori ratione, propterea sunt virtutibus perfectiora, & specie ab eis distincta. Neque virtutes cum auxilio extraordinario sufficientia sunt ad opera extraordinaria, de quibus procedit secunda probatio: quia illud non extrahit virtutes à regulatione propria, quæ fit per prudentiam aut rationem. Vnde vel illud auxilium non est illis connaturale, vel solum deseruit ad intensiorem actum secundum regulationem humane rationis. Et ita illud opus fortitudinis in Samsonè iudicaretur secundum ordinariam regulationem rationis temerarium, & illicitum; cum iuxta aliam superiorem regulationem fuisset licitum.

Ad confirm. responderetur, quòd hæc dona præcipue ponuntur in nobis propter obedientiam, quæ subijcitur motioni Spiritus sancti, ad quam requiritur principium aliquid habituale. Et quamvis exercitium illorum dependeat ab instinctu, & motione actuali Dei, quæ non est in manu nostra, non propterea movemur necessario, aut omninò passivè, & velut instrumentum propriè dictum, sicut nec ageas liberum vt motum actuali, & connaturali motione Dei. Quinimo nulla est maior libertas, quam vbi agimur spiritu Dei, iuxta illud Apost. *Vbi spiritus Dei, ibi libertas*.

34 Arguitur tertio, & vltimò: Nam hæc dona non distinguuntur nec ex parte causæ efficientis, nec ex parte motivi à virtutibus: ergo non distinguuntur ab eis. Antecedens quoad primam partem constat: nam idem effectus specificè potest produci à causis diversis speciei, vt

ignis productus ab igne, vel à sole. Quoad secundam verò probatur: Tum, quia alius motuum solum petiit altiorum virtutum: ergo ex eo, quòd dona reguntur ex altiori motivo, solum sequitur, quòd sint altiores virtutes. Tum etiam, quia per ipsas virtutes potest homo sufficienter disponi ad motionem hanc specialem Spiritus sancti recipiendam, dummodò habeant sublimem statum perfectionis: quia illa motio ordinatur ad eandem materiam attingendam, quam attingunt virtutes, licet perfectiori modo; qui tantum arguit perfectiorem modum operandi ab eadem virtute: sicut virtus communis, purgati animi, & heroica hoc modo distinguuntur: ergo dona non distinguuntur à virtutibus ex parte motivi.

Ad hoc argumentum responderetur, negando antecedens quoad secundam partem: Quia motio Spiritus sancti à donis persè inspecta est motuum valde diversam à motivo communis virtutis. Ad primam probationem, quæ equivoce laborat, dicendum est, quòd dona Spiritus sancti sunt speciales virtutes, sed valde diversæ ab eis, quæ sub nomine communis virtutis comprehenduntur à Theologis. Et ita licet sub diffinitione virtutis, prout præciadit à virtute, & dono, quo pacto diffinitur, quòd est

*dispositio perfecti ad optimum*, comprehendatur donum; possimus tamen hanc diffinitionem restringere ad optimum secundum regulam rationis, ratione cuius particule solum convenie illis habitibus, qui communiter nominantur virtutes à Theologis. Et donum potest sic diffinitur: *Habitus supernaturalis, quo homo disponitur, vt sit promptè mobilis à Spiritu sancto*. Pro quo videatur Div. Thom. in præsent. art. 1. ad 3.

Ad secundam responderetur, quòd licet homo non indigeat speciali virtute, vt moveatur altius & perfectius intra eandem lineam & ordinem operandi circa eandem materiam; indiget tamen speciali virtute, si moveatur ad operandum supra ordinem communem operandi. Et ex hoc patet discrimen inter virtutem purgatoriam, purgati animi, & heroicam ex vna parte; & dona ex alia: nam virtus sub illis differentijs semper procedit intra eandem mensuram rationis humane, nec petit superiorem regulationem: e contra verò dona sequuntur ductum Spiritus sancti supra omnem humanam rationem; & propterea distinguuntur à communi virtute, in quocunque statu consideretur.

\*\*\*

*Sufficiant dicta pro Volumine secundo huiusce Operis. Utinam profite ad nostrorum Studentium instructionem, pro quorum profectu sicut & primum elaboratum est, necnon pro enucleanda doctrina præclara N. Cursus Salmanticensis. Cedant item cuncta, quæ diximus in laudem Santissimæ Triados, Beatissimæ Virginis Mariæ de Monte Carmelo, Parentum Eliæ, & Teresæ à Iesu, Angelici Doct. & Præcept. N. D. Thomæ Aquinatis, necnon Magni Parentis D. Augustini, in cuius festo hic liber ad portum pervenit. Sed si quid doctrinæ Sanctæ Romanæ Ecclesiæ aliquomodo dissonum, vel Thomisticæ, maxime N. Salmant. aduersum dixerimus, iterum atque iterum retractamus.*